

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0462

0460

0466

0456

0471

0451

0511

0411

0561

0361

0961

Ende

Anfang

448

grege ad interiora deserti pervenit: per illam arctitudinem
vix poterant onerati camelii ingredi. Cumque introrsus esse-
mus, in aliam planitiem venimus, multum amoenam, in qua
erant gramina, herbae et virgulta. Refrigeravimus autem nos
cum rore decidente, quod utique dulcissimus erat melle, omnino
dissimile illi rori, quem gustavimus die XVIII., ut supra pa-
tuit. Nam rores circa haec sancta loca cadentes ostendunt,
quam dulcis fuerit manna ibi data patribus. Et hodie cadit
manna vel ros mannae per circuitum sancti montis Synai in
duobus mensibus, in Augusto et Septembri, quod colligunt
Arabes et vendunt peregrinis. De hoc manna multum vidi et
comedi. Vincentius in Speculo naturali L. V. C. 85 dicit:
manna est ros cadens super herbas aut lapides et coagulatur
sicut mel et exsiccatur sicut gummi et inviscatur et postea
colligitur, descendit autem nocturnis horis in orientalibus par-
tibus, sed quum in modica quantitate reperitur, multum so-
phisticatur, purum autem et non mixtum aromaticum est valde
et pretiosum, subalbidum, nihilque eo dulcissimus et ultra modum
jocundi saporis et illius generis esse dicitur, de quo Hebrei
vixerunt in deserto XL annis, quod ibidem concreatum est
divino miraculo, in melius mutata specie et sapore. Nam hoc
naturale manna multum deficit a miraculoso, non enim omni
nocte invenitur, nec omni anni tempore, sed illud semper
mane reperiebatur, ubi populus Dei morabatur, illud autem
reperitur etiam in quibusdam partibus Graeciae.

De manna filiis Israel dato dicitur Exodi 16.: cum ope-
ruisset ros superficiem terrae, apparuit in solitudine minutum
et quasi pilotus in similitudine pruinae super terram. Tex-
tus ille hunc habet intellectum: primum enim cadebat pruina
super terram et postea manna desuper et postea ros aliquan-
tum congelatus desuper, ita, quod manna erat intermedium
quasi, mundo custoditum et repositum inter duo stramenta,
scilicet pruinae et roris. Hoc autem manna, quod hodie in-
venitur, non operit superficiem terrae, sed dependet in foliis
herbarum et in acuminibus lapidum, sicut ros, nec habet ex-
se saporis dulcedinem, sed contrahit eum ex qualitate quadam
herbarum, graminum, vel lapidum, super quae cadit. Antiqui
dicebant, quod ros est filius lunae et aeris. Ros autem

